

*Observ. II. & Schol.* Prins tot tantæque eruditionis interpretes ne unico quidem exemplo aut idonei scriptoris testimonio docere potuerunt. Non sufficit dicere, quasi pro auctoritate, cum *Th. Beza*: ego *nomen mundi non refero ad ipsa elementa, sed ad discipulos*: probandum potius fuerat, ex indole linguæ & loquendi usu id licere. Locus *Hebr. V. 12.* nil juvat hos interpretes, sed iisdem adversatur. Non enim ibi rudimenta doctrinæ Christianæ dicuntur *σοιχεῖα τῆ κόσμου*, nec τῶν παιδῶν aut κατηχημένων, sed τῶν λογίων τῆ Θεῶ, *eloquiorum Dei*; quæ verba utique exprimunt id, quod elementa ista continet, tanquam partes fundamentales: unde καὶ ἀναλογίαν non poterunt non *σοιχεῖα τῆ κόσμου* intelligi de his, quæ mundi constitutionem ingrediuntur. Sic & *Justinianus* ab *Erasmio* citatus *Elementa juris* dixit, non *Juris studiosorum*. Apud *Ciceronem* tamen, ne quid dissimulemus, *Lib. I. de Orat. elementa puerorum* legimus: sed quæritur jam de *σοιχεῖοις* in lingua Græca, ubi similem locum haud invenimus. *Erasmus* quidem, quasi gladio soluturus hunc nodum, ait: *non est, cur nos moveat, quod Paulus adjecit elementa mundi. Mundi enim vocat, quicquid est visibile & caducum*: at neque hoc sine probatione dici, neque præter necessitatem substantivum *κόσμος* in adjectivum per *Hebraismum* verti debebat, vi *Postulati* nostri.

2.) Non videmus, qua ratione quis dici possit rudimentis doctrinæ *servire*, tanquam numini, quod tamen *Gal. IV. 9. coll. cum. v. 8. de elementis mundi* prædicatur, nec quomodo *mori* queat illis rudimentis, *sec. Coloss. II. 20.* cum tantum absit, ut rudimenta doctrinæ, quæ proprie fundamenti loco substerni solent, unquam abjiciantur, ut potius *Apostolus Hebr. V. 12.* necessarium existimet, *Hebræos*, quos ratione temporis magistros esse decebat, iterum rudimenta doceri.

Alias textus circumstantias, quæ huic vocum acceptioni obstant, brevitate causa præterimus, & hic commentationi nostræ finem imponimus.

S. D. G.

Coll. diss. A. 4, misc. 22